



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Rembertus Ep. 4. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Feb.  
ienis  
n Fi-  
abire  
is in  
Deo  
qui  
tem,  
JESV  
tatis  
aris,  
  
itua-  
con-  
ora-  
nten-  
  
ii.  
  
ntrem  
regi  
fficii  
tutis  
uen-  
etur,  
effit.  
item  
nicè  
obsi-  
ptu-  
ffet.  
ili in  
lora-  
feris  
Agri-  
olao

4.Feb. VITÆ SANCTORVM. 71  
colao sūdibus secundūm acceptus est. Ejus sanguinem cū septem matronæ legissent, ipsæ quoque verberibus laceratæ , in candidissimæ innocentiaæ testimonium non nisi lac per vulnera egesferunt, quod tamen ipsum mox capite truncatæ pulchrè sanguine miscuerunt. At BLASIVS undis, quibus mergendus erat, ancillantibus usus, lacum primò non aliter ac pontem perambulavit, dein velut fessus molliter in medio aquarum consedit; haustis interim vortice LXVIII. viris, qui Deorum suorum fiduciâ idem agere tentârant. Tandem cum geminis unius ex septem, de quibus dixeramus, matronæ filiolis, lictori cervicem præbuit. Quibus è vulneribus plus gloriae quam sanguinis manavit. Ex Surio.

Sine ferro Martyr esse poteris, si patientiā in animo veraciter conservaveris: Non pacificus consortium non merebitur Angelorum; Lividus & iracundus erit particeps Dæmoniorum. S.Bern.de Mod.bene viv.c.40.

S. REMBERTUS EP. 4.Februarii.

TAntum REMBERTVS apud Deum poterat, ut Sacerdos piacularibus flammis addictus eum patronum expeteret: ut minus mirere, si, quod in inferno ignes habuit imperium; Antistes Bremensis factus in eorum etiam inquilinum malum genium exercuit. Insederat hic Carolum Crassum postea Imperatorem, universoque regno & Ludovico patri luctuosum dederat spectaculum. Frustrà per Divorum tumulos circumducebatur, frustrà carmina devotaria adhibita, donec REMBERTVS larvis filium, & patrem solicitudine liberavit. Carolus memor bello nuper patrem se petiisse, fassus ingenuè est, non tunc primùm se diris

diris esse agitatum , sed quoties infestandi patris consilia cepisset ; ut intelligent , qui in parentes insurgunt, quo consiliario rem gerant , quin imò jam animos orcinō hospite possideri, quibus amor in parentes est pulsus. Cæterū REMBERTVM patrem pauperes suum jam dudum vocabant , ut qui in eorum usum loculos semper circumferret. Certè in captivos non suos modò , sed etiam sacros thesauros dilapidavit , præclaram mercatram existimans , auro animas emere. Victoriam contra Nortmannos precibus suis alter Moses impetravit, fuitque deinceps locus ille , in quo oraverat , semper cespite virenti latus : puto ne unquam civibus obsidione liberatis deesset , unde coronam sospitatori suo necterent. Ex Surio.

*A uelle à Sole Solis radium, & non lucet ; membrum à corpore, & putrescit : separa filium à devotione parentis , & jam non est filius , sed frater & collega illorum, de quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. S.Pet. Chrysol.in serm.*

### S. THEOPHILUS CONF. 4.Februarii.

**O** Semper insidiosa demissis animis ambitio ! THEOPHILVS ille, qui infulam ultrò oblatam ultrò rejecerat , mox officio œconomi ab æmulis se dejici usque adeò indignatus est , ut excire in auxilium orcum non vereretur. Ergo ad magum, cum hoc ad juratum humani generis hostem curritur : Deum Deique Matrem ejurare non titubat lingua impudens, non erubescit scripto firmare calamus impius, sustinet obsignare fœdus infandum gemma perfida: verbo, JESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis abit mancipium. Sed sequitur & nocentem conscientia flagellat; quin honori jam suo restitu-